DE DEPRIMENTE FRIGORIS 6. DISPUTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Luigi Beni



DE DEPRIMENTE FRIGORIS VI DISPUTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAE LAUREAE HONORES

RITE OBTINENDOS

IN ANTIQUISSIMO

CAES. REG. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROPONIT

ALOYSIUS BENI

EX VICETINA PROVINCIA



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

FRANCISCO · BENI

DOCTORI · IVRIS · VTRIVSQVE

EMERITO · LYCEI · VICETINI · PROFESSORI

AD · INQVIRENDA · DIIVDICANDAQVE · CRIMINA

REGIO · VENETIIS · A · CONSILIIS · VIRO

PLVRIMARVM · ACADEMIARVM · SODALI

PATRVO · SIBI · MERENTISSIMO

NEPOS · GRATISSIMVS

PRIMVM · HVNC · SVVM · LABOREM

D . D . D .

Cum hac die mihi laetissima et solemni aliquid de rebus medicis publice disserere debeam, vires deficiunt, fateor, impar tanto labori mens est, tentamen periculi plenum. Sed me vestra erigit humanitas, Viri doctrina ac virtute spectabiles, ita ut coram vos locuturus praesentia vestra magis delecter, quam adfligar tristi timore illapsi erroris, qui in brevi meo sermone detegi possit. Animo itaque lubenti et firmo de vi deprimente frigoris nonnulla expromam.

Frigus in natura non est; frigoris habetur sensatio, ubi humano corpori princeps ille stimulorum omnium ad sustinendam vitam necessariorum, calor nempe, sive melius caloris principium subtrahitur. Hinc frigus potiusquam vera substantia, tanquam subductio substantiae, tanquam ens negativum debet considerari. Frigus incensiones ardoresque compescit, inflammationes minuit easque ad resolutionem vergere cogit.

Browniana illa definitio jam cecidit, juxta quam stimulus vocabatur quidquid mutationem incitabili corpori (*eccitamento*) inferre valebat. Notandum tamen est quod et ipse Brownius frigus tantummodo una cum venae sectione inter *remedia subtrahentia* recensere non dubitaverit. Qui italae medicae doctrinae fundamenta posuerunt (ut per-

spicuitatis brevitatisque causa ipsissimis licet minime Latii propriis verbis utar) *statum stimuli* dixerunt *excitamentum* extra normae limites evectum, et *stimulum*, vel *stimulans* quidquid statum hunc stimuli inducit. Contra vero *statum contrastimuli* nomine notarunt, *excitamentum* depressum, et hinc *contrastimulum* vel *contrastimulans* quidquid oppositum hunc statum gignere valet. Idcirco fit ut deprimens vel *hyposthenizans*, vel *hyposthenica* vocari debeat quaelibet potentia, quae universis nostri corporis organis stimulum auferre, vel *phlogosin* illum nempe eminentiorem magisque manifestum statum stimuli adaucti imminuere aut solvere potest. Atqui haec omnia praestat frigus, ergo ad ceteras aperte deprimentes potentias referendum.

A qua quidem sententia minime dissentire videntur veteres medicae artis principes, religiosi naturae scrutatores, qui de factorum observatione magis solliciti, quam theoreticarum disceptationum amatores, naturae ipsi semper parebant ejusque sequebantur conatus. Magnus Hippocrates in aureis suis aphorismatibus a longaeva experientia deductis de febri inflammatoria scripsit: *Aut bibendum aut moriendum*; neque certe potionem aliam, cui totam fere relinqueret morbi curam, nisi aquam frigidam indicare voluit, utpote eam, quae ab aegris ardenti febre vexatis, natura duce, instanter requiritur, quamque quotidie gratissimam pariter ac perutilem esse videmus. Et Celsus principium ad vim vitalem deprimen-

dam aptissimum in frigore agnovit, ubi id juvenibus, et fortioribus herculeisque corporis constitutionibus potissimum convenire affirmavit. Percurrentibus porro omnia antiquiorum medicinae scriptorum opera occurrit frigus empirice quidem, sed fausto semper cum exitu in morbis commendatum, quorum inflammatoria indoles procul dubio innotescit.

Potiora argumenta, quibus ii omnes innituntur, qui temporibus erroneae pathologiae plurimi, modo vero pauci, (variis quidem sed eodem sensu tunc donatis verbis) roborans vel stimulans frigus esse defendunt, sequentia sunt: Post frigoris actionem nonnulli fortiores se sentiunt: Septentrionalium regionum incolae majus corporis robur praeseferunt, quam qui in australibus vitam degunt: Corpora valetudine praedita hieme melius sese habent: Morbi hiemis tempore grassantes sunt indolis vere inflammatoriae. Videamus itaque enne istiusmodi argumenta firmis rationibus stent.

Et quoad primum, antequam de roborante frigoris vi sit quaestio, liceat differentiam, quae stimulans inter ac roborans reapse intercedit, paucis notare. Quidquid stimulat, scilicet vim vitalem ultra limites valetudini datos extollit, ideoque functiones organorum perturbat. Quod vero roborat, sive aliquid addat, sive impedimenta adimat functionum exercitio obstantia, functiones ipsas ad normalem statum illum restituit, qui *status roboris* vere est dicendus. Hinc nemo stimu-

lari poterit nisi a potentiis procul dubio stimulantibus, robur autem homini datum, vel restitutum tam a potentiis stimulantibus quam a deprimentibus gigni poterit. Et revera deprimentium potentiarum maxima venae sectio talea aliquando edit effectus, quos certe non aliter quam roborantes vocare licet. Videmus quotidie in individuis temperamento sanguineo potissimum praeditis, in feminis gravidis nimia plathora obrutis, debilitate, organorum motus torpore, sensu quodam fere funis artus vincientis laborantibus, in quibus omnibus parvus erat pulsus, tardior quam par est, contractus exilisque, illico post institutam venae sectionem arteriarum pulsationes fortes, frequentes micantesque fieri, omniaque evanescere laxitatis symptomata perinde ac si validissimus stimulans propinatus fuerit. Tali pacto etiam agunt substantiae quamplurimae a quibusdam materiae medicae scriptoribus ad roborantes, vel tonicas relatae, quae cum nihil aliud praestent, quam eorum omnium impedimentorum subductionem, unde repressis vitalibus alicujus organi vel systematis motibus, debilitatis sensus atque phaenomena exoriebantur, organon ipsum atque systema ad functiones suas peragendas aptissimum reddunt.

His itaque positis si calor ullo procul dubio stimulans evadit, erit ne stimulans ipsa caloris subductio, erit nempe frigus ad stimulos referendum? Equidem certe quo major erit caloris subductio, eo minori pollebit stimulandi vi. Cum vero po-

tentiae fere omnes magna sive excitandi, sive deprimendi facultate praeditae, in humano corpore earum actioni subjecto erga ceteras contrariis viribus donatas potentias sensum augere valeant; qui frigori diu sese exposuit, adeo majorem caloris principium sentiendi vim secum revehit, ut quos antea tamquam innocuos caloris gradus durabat, ne perferre quidem amplius possit. Hoc scilicet praestant vitalis *reactio* eaque stimulorum intolerantia, quae a defectu originem trahit, et exinde fit, ut frigus licet deprimens effectus stimulantibus similes aliquando exerat. Omnis praeterea stimulus statuto gradu agere debet, ne sanitatis limites supergrediatur. Quivis igitur caloris gradus organa omnia in suo valetudinis statu retinere minime valet; ideoque ubi a nimio calore salus adeo perturbatur, ut functiones organorum propriae peragi nequeant, frigus natura sua sanitatem restituere corpusque universum ad sua adimplenda munera aptum reddere valebit, propterea que roborans quodammodo evadet. Frigus itaque sive reactione vitali incitata subsequentium stimulorum gignat intolerantiam, sive nimia caloris copia subducta vitales motus faciliores reddat, tales edit effectus, ut quisque in his circumstantiis post frigoris actionem semetipsum fortiorem persentire debeat.

Quod si quis ad stimulantem frigoris vim confirmandam regionum septentrionalium incolarum robur adducat, idque cum debilitate eorum, qui in australibus locis vivunt, conferat, mul-

ta sane occurrerent animadvertenda. Illi nempe corpus continuo exercent, deficientem calorem arte sibi comparant, vestes induunt de pellibus animalium fere omnes confectas, victu animali fermentatisque potibus utuntur, talique pacto letalem gelidi aeris circum ambientis influxum non modo imminuunt verum etiam in propriam utilitatem ad aequam scilicet stimulos inter atque *excitamentum* relationam sustinendam convertunt. Contra vero qui in regionibus australibus vitam dagunt ab urentibus solis radiis, atque a circumundique obsidente caloris principio se vix ac ne vix quidem tueri valent; unde major quidem initio vitalis vis, celeriusque corporis augmentum, sed paulo post ob magnam vitae impensam, subsequa debilitas, et vitae ipsius praeceps cursus.

Huic simillima est altera objectio: Corpora valetudine donata in hieme melius sese habent; ergo frigus stimulat. Nemo certe inficiabitur longaevos pueroaque prae adultis quodam adfici debilitatis gradu. Si frigus itaque vi stimulanti pollet, illorum corpora utpote quae stimulis summopere egent bona valetudine luxuriantia hiemali occurrent tempastate. Quomodo autem major puellorum sanumque quam virorum numerus biemis tempore misarrime perit? Sed quispiam forsitan addit, exinde frigoris actionem in humano corpore male posse dijudicari, cum infirma alio certe modo ac sana corpora erga quamplurimas potentias sese habere soleant, idque jam ab omnibus compertum ipsis oeconomiae animalis la-

gibus innitatur. Neque animus nobis, neque hic locus tantam hujusce propositionis veritatem in dubium ponendi, ideoque ad factam oppositionem redeuntes eam prae sequenti dilemmate totam ruere adfirmamus. Et re quidam vera vel hiemis tempore purior majorique elaterio donatus aer, major ciborum tum animalium tum aromatibus refertorum copia, fermentatorum fluidorum frequentior usus, corporis exercitia, et solatia ipsa, magna incitandi virtute praedita, deficientem calorem naturalem seu stimulum a frigore subductum valent reparare; vel minime admisso istiusmodi vivendi modo ab italis medicis *per compensazione* nuncupato, si humanum corpus tot tantorumque stimulorum actionibus expositum sanitatem suam ulterius tueri, et morbos inflammatorios evitare valet, id uni frigori est tribuendum. Atqui potentiae manifeste stimulantes potentiarum deprimentium effectus tollere tantummodo queunt, et illarum actio nisi per contemporaneam harum actionem compesci infringique potest; ergo frigus prae ceteris omnibus tum internis tum externis potentiis maximam deprimendi virtutem praesefert, et si quae major hiemis tempore valetudo in sanis corporibus observatur aequali illi statui adscribenda, quem frigus ipsum ubi stimulorum vel copiam tollit, vel actionem imminuit, in humanum corpus inducere potest.

Restat itaque ut alterius postremique argumenti debilitas innotescat, in quo ex indole inflammatoria morborum hiemis tempore grassantium

stimulans deducitur frigoris vis. Fatendum est, idque vel medicus minime naturae scrutator, vel praeoccupatus partisque studio abreptus tantummodo negare audebit, morbos hiemie proprios ut plurimum esse phlogisticos vel inflammatoriae naturae. Istiusmodi autem morbi minus apte a frigore orti dicuntur, cum ex alterna frigoris caloris que actione, sive a subsequenti caloris vel stimuli ob vitalem reactionem jam intolerabilis influxu originem trahant suam. Etenim ubi magna, aequabilis atque diuturna sit caloris subductio, una cum calore vis vitalis imminuitur, segnis neque amplius excitabilis redditur, et ex subsequa corporis universi congelatione oritur mors; idque tali pacto evenire solet, ut ne ulla quidem de debilitate statum illum comitante dubitatio habeatur. Congelati qui quotannis per vias noctu, vel sub alpestri montium itinere inveniuntur, id potissimum demonstrant, confirmavitque nostris hisce temporibus illa tot tantorumque millium hominum nex, qui paucos intra dies, terribile dictu, scythico in bello algore confecti miserrime perierunt. Quispiam attamen inquiet, si congelatio haec vera cum debilitate conjungitur, cur ab usu glaciei curatio ipsius incipitur, neque ipsi magna vini aliorumque stimulorum copia succurritur, quemadmodum in iis usuvenit, quos in verum debilitatis statum conjecit aconiti, hyoscyami aliarumque substantiarum confirmata deprimendi facultate praeditarum usus? Huc vero cadit distinctio, quam et celeberrimus clinicus parmen-

sis fecit statum inter debilitatis a defectu exortum (a frigore ab inedia ex. g.) alterumque pariter debilitatis statum, qui ab actione deprimentium, uti ajunt, positivorum (lauro-cerasi nempe cicutae etc.) gignitur. A stimulorum subductione atque defectu materies, ut ita dicam, externa exterior contractionis causa fibrae tantummodo adimitur, manent vero incolumes conditiones illae, quarum ope fibra ipsa excitabilis evadit. Contra autem corpora positiva deprimenti vi damnata talem fibrae mutationem inferunt, adeoque suas interiores illas conditiones turbant, ut amplius excitari, saltem prout conveniret, nequaquam possint. Defectus omnam organorum seriem non excitatam quidem, sed pariter stimulorum intolerabilem reddit, quia eluditur *habitudinis* lex, sub venenorum atque deprimentium potentiarum actione corpus non excitabile fit. His positis si congelatorum fibra depressa quidem a frigore sed excitabilis adhuc, stimulorum subjiciatur actioni, moleste adfici debet, atque non ob auctam a stimulanti frigoris vi sensibilitatem, verum ob inductam a caloris defectu stimulorum intolerantiam, vitalis reactio adeo vehemens insurget, ut gangraena ipsa, quae et certus inflammatorius exitus est, et frigoris effectus dicitur, oriri possit. Cum itaque stimuli minime sint adhibendi, quia at humani corporis prae ipsis intolerantia, et reactio vitalis sub ipsorum actione illico consurgens id potissimum vetant, nil aliud restat quam ut gradatim stimulorum defectus imminuatur, tali-

que pacto eo fibra animalis perducatur, ut stimulantium potentiarum effectus valeat sustinere. Hoc modo explicandum cur congelatorum corpo e glacie, nive, aqua gelida ac frigida incipiatur, et postremo ad aquam tepidulam calidamque confugere liceat, idque non modo absque damno, verum etiam necessario ac maxima cum utilitate fiat.

Ex his omnibus igitur patet quomodo post frigoris actionem morbus indolis vere inflammatoriae a caloris stimulorumque influxu gigni possit, pariterque innotescit qua de causa eadem ut plurimum sit morborum hiemali tempestate grassantium natura. Adde quod, quemadmodum jam primo loco dictum fuit, vehemens quoque alternusque caloris frigorisque sensus istiusmodi morbos adferre valet. Quod quidem tunc potissimum evincitur, ubi paupere illi, miserrimum hominum genus, observantur, qui per plateas viasque vitam degunt suam. Bonis carentes vestibus, et continuo frigori expositi, invideoda tamen pollent salute, quia nunquam vel fere nunquam igni alternatim accedunt, et in frigido aere vivunt; et si forte aliquo corripiantur morbo, ipsius indoles certe *hyposthenica* evadet, cum frigoris actioni ciborum aliorumque stimulorum addatur defectus. Neque nos latet quempiam dicere posse: Manus in nive detentae rubescunt, tali viatorum sub gelu septentrionali inflammantur, licet neque illae neque isti commemoratis jam vicissitudinibus exponantur. In his vero casibus una tantum corpo-

ris pars frigoris actionem sentit, et ob caloris subductionem majori prae ceteris incitabilitate praedita in inflammationem citissime ruit, ubi sanguis ad deficientem stimulum reparandum magna vi atque copia in illam fluens eodem modo agit, quo externae stimulantes potentiae in universo frigefacta corpore. Quapropter si partiales, arte comparatae, fortuito exortae frigoris calorisque alternationes morbos vere inflammatorios excitare queunt, eosdem certe et aeris vicissitudines edent effectus, idque eo satius quo difficilius humanum corpus ab illis semetipsum tueri potest. Verum nulla alia in tempestate magis quam in hieme frequentes aeris mutationes sunt; ergo et alia habetur ratio, cur morbi naturam vere inflammatoriam illo anni tempore praeseferant. Conspectus morborum anno millesimo octingentesimo trigesimo observatorum luculenter hanc confirmat veritatem. Scilicet eo anno cujus rigoris unusquisque nostrum meminit, mensibus Januarii et Februarii, licet major notaretur frigoris gradus (apud nos decem et ultra infra o Th. R.) minor tamen aegrorum numerus fuit, quia tunc temporis purior serenusque observabatur aer, neque ulla erat ipsius vicissitudo, ingens vero morborum ingruit cohors ubi decrescenti frigore aer ipse a ventis pluviisque frequenter mutari coepit.

Deprimente frigoris vi, prout virium mearum infirmitas hujusque laboris brevitas siverunt, in luce posita, argumentisque quibus contraria fri-

goris facultas a nonnullis defenditur, refutatis, videamus an in medica praxi frigus ipsum tamquam deprimens adhibeatur, effectusque exerat vere, uti ajunt, *contrastimulantes*.

Omnes in quibusdam praecipue inflammationibus potu frigido ac gelido utuntur. Sed si frigus stimulat, cur stimulos stimulis addunt; vel etiam cur nemo in iisdem morbis ad vinum confugit, opium aliaque remedia eadem, si fidea nonnullis babenda est, ac frigus stimulanti virtute pollentia? Si frigus stimulat, cur frigidae gelidaeque fomentationes denudatis nervis, vasis caesis, partibusque resectis adplicitae dulcem inferunt quietem, omnemque inflammationem avertunt? Si frigido sub balneo cutis calor evanescit, respiratio fit brevia, pulsus qui antea micantes, debiles evadunt; qui vero debiles, ne amplius quidem parentiuntur, et si sub diuturna in istiusmodi balneo mora infirmi in syncopem cadunt, nunt ne haec elati *excitamenti* vel potius debilitatis symptomata? Viget siquidem apud nonnulloa error, sanguinem sub frigido balneo ab exterioribus ad interiora repulsum, cerebrum omniaque nobiliora viscera copia sua obruere, ac proinde frigus idem extus deprimentem, intus vero stimulantem expromere facultatem. Si verum boc esset, neque illorum neonatorum, quos borussicarum regionum incolae nive vel frigida aqua immergunt, cerebrum aliaque organa nobiliora experimentum tanti periculi plenum perdurarent, neque juvenes ii, qui tempore aestivo solatii causa in aquis fri-

gidis natant, apoplexiam evitare valerent, neque infantibus sub ortu ipso ex apoplexia asphyticis frigore frigidisque auxiliis tam feliciter succurreretur.

Perlegantur porro summorum illorum medicorum opera, qui fausto cum exitu frigus in morborum curatione adhibuerunt, eosque ipsos qui stimulantem frigoris facultatem extollunt, ejus ope infirmos sanare videbimus peticulis, typho, febribus atque inflammationibus sic dictis malignis laborantes, morbis omnibus, qui melius cognita *diathesium* natura nostris hisce diebus, inflammatoriis annumerantur. Hippocrates frigido utebatur balneo in acuto articulorum dolore. Currie magnus hujusce balnei apud veteres usus promotor eum in ipsis febribus intermittentibus commendat, propria tamen experientia duce in caloris, minime vero in algoris stadio ipsum adhibendum esse animadvertit. Venae sectio a nobis in iisdem morbis instituitur, in quibus celeberrimus Sydenhamius ad balneum frigidum confugiebat. Sed quid plura? Si quis adhuc veteri serviens opinioni stimulantem frigori facultatem inesse defendere voluerit, is magnum immortalis Giannini opus *Delle Febbri* inscriptum, attento at non praeoccupato animo perlegat, et praeter facta ex antiquorum operibus desumpta multa eaque validissima inveniet argumenta, quibus deprimens frigoris vis ita statuitur atque confirmatur, ut jure meritoque balneum frigidum fortibus tantummodo corporis constitutionibus utile ab Hygienis scriptoribus declaratum fuisse, concludendum sit,

22v

THESES

I.

Sanguinis retro-pulsio a partibus externis ad internas sub balneo frigido non admittenda.

II.

Praesens menstruatio venae sectionem minime vetat.

III.

Aneurismata non a mechanica distensione arteriarum, sed a processu phlogistico generantur.

IV.

Effectus dynamicus medicamentorum nunquam mutatur.

V.

Sulfas chininae agit arcane in febribus intermittentibus.